

Cujus ut iunantes plumas despexit in undis,
 Aeternum optavit pendere supplicium,
 Hospite quod crebro flentem pro flavo Ariadnam
 Adjuvit contra Pasiphaes sobolem.
 O puer, o patri luctus, quid mi tua saepe
 Fata refers? animus non mihi tabificum
 Ardentis jubar ad phoebi contendere vela:
 Altior incedat flammeus ille polo.
 Nil mihi cum volucrum pennis: nova Palladis Argo
 Surgit in aeriis arte regenda plagis;
 Tiphys & alter ego florentis robora pubis
 Ducam lascivis carbasia dans Zephyris.
 Ecce mihi Uranie puppi comes adsidet, ecce
 Ad mea hyanteas vota vocat socias.
 Cui faveant musae, violenti Strymonis undas
 Froenat, & umbrosam voce mover Rhodopen,
 Thebanasque novis circumdat moenibus arces,
 Et fertur magno sospes in Ionio.
 Si velit; & suavi potis ille extinguere cantu
 Ipsius irati flammea tela Jovis,
 Et potis auratos (c) nexus diffringere, mundi
 Tollere queis iuret moenia cum superis.
 Nam simul ac sacro vox edita vatis ab ore
 Illius se in cor detulit insinuans,

Sub-